DE LYKANTHRŌPIAS FIGMENTO EXERCITATIO PHYSICA QUAM DEO DUCE PUBLICAE...

Christian Nifanius, Johann Werger

Digitized by Google

Digitized by Google

Προαύλιον.

MUltos imperitum & rude vulgus in ſcenam producit, quæ, ſi penitius introſpiciantur, vaniſſima ſunt. Dolendum, hominum ingenia denſis tenebris ita eſſe obfuſcata, ut ſequi verum nolint, cum res ſit ſole fulgentiſſimo clarior. Sapientis autem eſt, non tantum vulgi veſtigia relinquere, ſed eidẽ meliorem monſtrare viam. Putat plebs, formarum eſſentialium μέθεξιν magicis artibus perfici poſſe: putat ſubſtantialem totius compoſiti in lupum mutationem dari in Natura. Sed putat. Quàm bene, poſt patefcet. Nos operæ pretium nos facturos exiſtimamus, ſi hanc lycanthropiam Satanicæ activitatis ſphæram longè tranſcendere demonſtremus. Conatibus noſtris, JEHOVAH, adeſſe, cœptisq; benigniſſimè annuere velis, piis precibus ſollicitamus.

THESIS I.

Hominum in lupos tranſmutatio reſpectu animæ Dæmoni planè impoſſibilis eſt.

Ἔκθεσις.

§. I. Ut controverſiæ ſtatum rite formemus, ſciendum, nobis hic non eſſe ſermonem de hominibus talibus, qui exuberantis melancholiæ malitiâ ſunt correpti, quæ atræ bilis exuberantia *Medicis* ſuevit appellari λυκανθρωπία, quæ ſpiritus animales in cerebro humano adeò perturbatos & confuſos reddit, talia quoque phantaſmata ſuppeditat, ut ſe ſubſtantiali converſione in lupos eſſe converſos ineptè ſibi imaginentur, barbarâ feritate ſęviant, & inſaniam lupinam exactè imitentur. Cõcedimus enim, complures tales lycanthropos reperiri: Verum hęc imaginatio non eſt eſſentialis tranſmutatio, vel vera animę migratio in corpus peregrinum. Quemadmodum enim ille,

qui ex judicio corrupto & depravata phantaſia putavit, ex vitro ſibi eſſe conflatas nates, ut propterea quando negotia ſibi conficeret, ne nates confringeret, non verè vitreas habuit nates, *vid. Excel. Dn. Sperlingius in inſtit. phyſ. l. 2. c. 1. quæſt. 8.* & ſicut ille, qui ex perverſa & corrupta phantaſia ſe granum tritici eſſe penitus ſibi perſvaſerat, ut proinde aves plumatas mirum quantum fugeret, non verè fuit granum tritici: haud ſecus illi, qui ſpiritibus læſis & humoribus corruptis atrâ bile laborant, & ſe lupinâ indole aſſumptâ, in quævis obvia lupino more irruptionem facere ſibi imaginantur, veri manent homines. Sed quæritur hoc loco, *an anima hominis poſſit arte Satanicâ evocari & educi è corpore, & educta migrare in lupum, aut an ſubſtantialiter immutari poſſit in lupum?* Claſſica antiquorum & recentiorum quorundam hæc eſt ſententia; poſſe Satanam id præſtare. Ex veteribus *Propertius, Ovidius Virgilius* allegari ſolent. Hodie & ante hæc tẽpora pro vera hanc Magicã tranſmutationẽ habet *Bodinus cap. 4. meth. Hiſt. Tholoſanus* aliique. Cordatiores tamen tranſmutationem hanc *vel* Poeticè fictam, *vel* Satanicè illuſoriam ac præſtigatoriam totam eſſe cenſent. Quibus & noſtrũ adjicimus calculum.

§ 2. Probamus autem noſtram ſententiam ſequenti argumento. *Quodcunq; veram infert è mortuis reſuſcitationem, id Dæmoni impoſſibile eſt. Atq; animas abreptas à corpore humano migrare in corpus lupinum, & poſtea reuniri cum eodem, veram infert è mortuis reſuſcitationem. E. id Dæmoni impoſſibile eſt. Major* nullo indiget probamine: Eſt enim opus creatoris omnipotẽtis, quod in ſcriptura notanter Deo adſcribitur, & idolis, Satanæ ac creaturis univerſim negatur. *Minor* inde patet, quia revocatio corporum in vitam priſtinam, & reunitio animæ cum corpore eſt ipſa reſuſcitatio. Hoc autem modo rem ſe habere ſcribunt Autores, imprimis verò *Peucerus de θεραπεία p. m. 131. Quamprimum talia diaboli mancipia ſeſe accingunt ad ſequendum puerum, qui loris ferreis ea propellit, Diabolus ita eorum rationem faſcinat, ut ſe exui priori ſpecie, & lupinâ indui formâ penitus ſibi perſvadeant.* Fatentur quoque ipſi λυκάνθρωποι impelli ſua

ipſo-

ipſorummet animas, ut relictis ſuis carceribus, in quibus detinentur, in lupina corpora involent, ijsque lupinam rabiem exerceant. Cum iſtis ibusque quoque & torturis examinati tales cōfeſſi fuere, animas ſuas à Dæmoniaco è domicilijs ſuis extractas in lupina corpora fuiſſe immiſſas, poſtea finitis duodecim iſtis diebus, proximis à natalitijs Chriſti, redditas fuiſſe priſtinis ſuis corporibus. Sed ſi hæc juxta rationis limam exigantur, futilia ſunt, & ἐσχάτως ἄτοπα. Non enim ex talium hominum aſſertione firmiſſimè concluditur ad veram animarū è corporibus extractionem, & in luporum corpora immiſſionē. Diabolus μυριοτεχνίτης ille & [illegible] miſellos iſtos homines, poſtquam in caſtra ſua eos perduxit, κράσει quadam corripit, iſtorum organa phantaſiæ vitiat, ſpiritusque eorum in hæc diabolica ludibria proclives commovet, ut ſe ex hominibus factos eſſe lupos certò certius ſibi imaginentur. Et mirū ſane, nō tm per Livoniā & per Lapponiā hāc ſententiā de ſubſtantiali hominis in lupos converſione multorum animos irrepſiſſe, ſed & paſſim per noſtram Saxoniam. Cum enim imminent dies illi duodecim, ne damnum ipſis à talibus lycanthropis inferatur, domus ruſtici claudunt, cum tamen iſto tempore lupinum genus libidinibus flagrare ſoleat, hancque ob cauſam in rabiem quaſi prolapſum diſcurrat, & quia arva nive ſunt obruta, & pecora ſtabulis concluſa tenentur, in quævis obvia irruptionem faciat. Neque confeſſionibus eorum torturâ expreſſis aliquid veri ſubeſt; Diabolus enim ita mentem eorum faſcinat, ut quod ipſi impoſſibile factu eſt, tamen ſe feciſſe glorientur. Rectè *Peucerus d. l. ait.* Talibus luſibus delectatur Diabolus, ut miſera illa & Dei ignara mancipia ſua excruciet etiam in hac vita ſupplicijs, torturis, excarnificatione corporū, & modis alijs. Plurimi enim propter ea, quæ ſe luporum ſpecie inferre credunt damna alijs, afficiantur pœnis publicis. Hāc qvoqve ob cauſam non multum fidendum eſt confeſſionibus talibus, qvia ſæpius in tantis rerum anguſtijs nihil veritati loci relinquitur, ut haud inſcitè *Romanæ eloquentiæ Parens* ait. Nulli quoq; melācholico, maniaco, ſōniāti, furioſo aliqvid in re alicu-

jus momenti creditur, etſi jurato. Quidam ſe mortuos eſſe, conſtantiſſimè dixerunt, alij ſe veros dæmones eſſe aſſeruerunt. Nec ob id fides illis adhibita eſt. Pervertere ita diabolus hominũ mentē, ſenſus & judicium poteſt, ut ſe extra corpus fuiſſe opinentur & glorientur. Sicut ergo falſum, animas Sagarum vi Satanæ extra corpora abripi, & ad nocturna comitia transferri poſſe, ut ibi commeſſationibus & ſaltationibus indulgeant: eadem ratione veritati quoq; minus conſentaneum erit, animas arte diabolicâ à corporibus ſejunctas poſſe in lupina corpora intrudi. Præterea ſicut in translatione illa animarum ad nocturnas commeſſationes in monte Bructerorum non fidendum confeſſionibus ſagarum; ſic in hac animarum intruſione in aliena corpora nihil quicquam aſſertioni lycanthroporũ eſt tribuendum. Vid. Excell. Dn. Sperlingius *in inſtit. phyſ. l. 3. c. 4. p. m. 367.*

§. 3. Ulterius hujus transmutationis impoſſibilitas pateſcit ſubſequenti argumentandi ratione. *Quicquid neq; naturaliter, neq; ſupernaturaliter præſtare poteſt Diabolus, id planè non præſtare valet. Atqui animarum à corporibus disjunctionem, & cum iiſdem reunitionem neq; naturaliter, neq; ſupernaturaliter præſtare poteſt Diabolus. Ergo.* Majoris conſequentiam autumo eſſe firmiſſimam: omne enim quod fit, *vel naturæ limites tranſcendit*, quod effectum dare ſolius infiniti Numinis eſt. Hinc quando Sol ſtetit tempore *Joſuæ*, & cum ſplendidiſſimum illud lumen retroceſſit; *Hiskia* dominium Iſraeliticum tenente, non hoc factum ordinario Naturæ curſu, ſed omnem exceſſit Naturam; hinc ſoli Deo mirandum hoc facinus venit adſcribendum; *vel naturalem obſervat curſum*, qui ab hoc negotio planè abhorret. Minor itidem ſatis eſt dilucida; cum enim hæc realis animæ ſecluſio à ſuo domicilio & repetita cum eodem conjunctio importet veram reſurrectionem, quæ eſt articulus fidei, & inde à Natura & dictamine rationis abhorret, naturali ordini repugnat, & quia ſuperiùs dictum eſt, actionem ſupernaturalē æterno Deo eſſe propriam, hinc à cacodæmone planè exulat.

&

& remotiſſima eſt. Equidem *Pythagoras* migrationem animæ in peregrinum corpus videtur admiſiſſe, ut idem ſit fortè hodie gallus gallinaceus, qui tempore belli Trojani fuerat *Agamemnō*, ut videre eſt apud *Muretum* orat. 1. p. m. 17. Sed num verè id ſtatuerit, vel potius allegorici quid ſub iſtis occultaverit, ſapientum judicio relinquimus. Audiamus *Plur. Rev. ac Ampl. Dn. D. Dannhaw. in colleg. Pſychol. cont. V. p. 25. Primum, inqvit, Autorem trāſanimationis vulgò faciunt Pythagoram, id verò num verè ſtatuerit, num allegoricè aliud occultaverit, quemadmodum & Plato l. 10. Pol. narrat, Orpheum odio mulierum tranſiiſſe in cygnum, Thamyram in luſciniam, relinquimus in medio. Nihilominus certi ſumus inhæſiſſe hanc opinionem multis Ethnicis, & exoſculari eandem Ethnicorum ſimias Papiſtas.* Verum quemadmodum res ipſa è diametro vero eſt contraria, ita fortè ipſum fundamentum, quo res ipſa ſuperſtructa eſt.

§. 4. Modum quod attinet, quibus mediis fiat hæc converſio, hunc expreſſit *Casmannus in ψυχολ. part. 2. p. m. 61.* Aut enim verba quædam ordine certo recitantur, aut corpus unguento quodam illinitur, aut homo neſcio quo ſe circumcingit baltheo & mox anima egreſſa è ſuo corpore in lupinum commigrat corpus. Verum enimvero hanc animæ extractionem vim atque potentiam Satanicam effugere, ſupra oſtendimus. Unde autem verbis, ungvento, baltheo tanta oritur virtus? Naturalis nullo modo eſt. Quid enim obſtaret, quo minus uniuscujusque verbi prolatio, unumquodque ungventum & baltheus hac potentia eſſet prædita? Et quid ungventa? quid balthea? Artificialia ſunt effecta, nullam per ſe, ſive commodandi, ſive nocendi vim habentia. Agendi vires, ubi nullæ ſunt, fingere, mentis dementis eſt. Neque Deus modo ſupernaturali iſtam vim communicavit iſtis rebus ad hanc exoſam converſionem.

§. 5. *Statuminamus*, & ſubſequenti firma ratione porrò ſtabilimus hujus transanimationis ἀδυναμίαν. *Quæcunque forma eſt determinata, & debitis vel proportionatis diſpoſitionibus*

ad

ad ſuam materiam ordinatam, illa nequit ſpecie diſtinctam informare materiam. Atqui forma humana eſt determinata, & debitis diſpoſitionibus ad ſuam materiam ordinata. E. *Major* extra omnẽ controverſiæ aleam eſt poſita, qvia proportio inter materiam & formam ſemper debet intercedere neceſſaria, juxta monitum *Excell. Dn. Sperlingij in Anthrop. p. m.* 47 & eandem eſſe mentẽ *Plur. Rev & Excell. Dn. D. Scharffii*, pateſcit ex pneumat. l. 3. quæſt. 4. cum inquit. *Adde, quod omnis forma ſpecifica habeat ſuam determinatam materiam, determinatam quantitatem & figuram, adeò ut in aliena materia eſſe non poſſit, niſi vis infinita accesſerit, Minor* manifeſta redditur inde, qvia anima humana conjuncta cum materia humana totum conſtituit hominem, non a, indeterminatè & indifferenter ſe habet ad hãc vel illam materiam informandam. Etenim major animæ noſtræ eſt pręſtantia, major excellentia, major dignitas, qvam ut relicto ſuo nobiliſſimo habitaculo, aliud corpus informare pręſumat. Prętereà inauditum, & in omni philoſophia abſurdum eſt, unũ corpus duas ſpecificas poſidere formas, qvæ abſurditas introduceretur, ſi hæc animę migratio obtineret locum. Poſſunt quidem unius corporis eſſe plures formæ, verum non ſpecificę, ſed una neceſſe eſt ſit ſpecifica, reliqvæ veniunt nomine ſubordinatarum formarum, qvæ lege Naturæ ſub ſpecificæ dominio aliqvando latitant, donec excuſſo ſervitij jugo, ſui juris fiunt, & totum aliquod conſtituunt. *Vid. Excell. Dn. Sperlingius in inſt, phyſ, l. 1, c. 3.* qui ex profeſſo hoc negotium perſtrinxit.

THESIS II.

Hominum in lupos tranſmutatio reſpectu corporis Dæmoni impoſſibilis eſt.

Ἔκθεσις.

§. 1. Eadem hic fere argumenta, militant pro theſi hac, qvæ fuere adducta. Corpus enim humanum, qvod eſt itidem determinatum qvid ſicut anima, conjungi nequit cum indetermi-

minata forma, qualis eſt lupina, nec ab hac informari. *Sicut enim materia ferri intrinſecè copulari nequit cum forma quercus, aut materia lapidis cum forma canis: ſic materia humana indeterminatæ formæ conjunctionem intrinſecam fugit & refugit.* Pro ſtabilienda noſtra ſententia ſequentem in modũ argumentamur. *Nullum indeterminatum informare poteſt determinatum. Atqui anima lupina eſt indeterminatum quid & corpus humanum determinatum quid? E. Majoris* fundamentum in eo poſitum eſt, quia 1, nulla inclinatio mutua eſt, inter oppoſita. 2, quia formæ extra certam & determinatam materiam neque eſſentiam neq; exiſtentiam habent. 3. quia alia forma aliam poſtulat materiam, propter cujus habitudinem & debitas diſpoſitiones ſuas exercere operationes & ſuum exequi officium valet, *ut Præceptor noſter honorandus inſt. phyſ. l. 1. c. 3. p. m. 134.* loquitur. *Minor* vel ὀφθαλμοφανῶς patet. Licet enim forma lupina abſolutè conſiderata ſatis ſit determinata ad corpus lupinum, in reſpectu tamen ad corpus humanum eſt quid indeterminatũ. Sicut enim corpus hominis eſt ſatis determinatum ad formam humanam: interim tamen reſpectu habito ad corpus lupinum, appellari quàm maximè indefinitum poteſt. Sive jam materia humana commigret in lupi corpus, ſive eſſentialiter in lupum tráſformetur, utrumque ſtare nequit. *Si* enim prius propugnant, tum forma lupina duo poſſideret corpora, & quomodo lupinas actiones exerceret lupus per illud disproportionatum corpus? annon lupus talis ſimul rationalis & irrationalis eſſet? Si poſterius, tum ex materia inhabili vivum ſubjectum produceretur, quod infinitam virtutem ſapit. Angeli namque quicquid agunt & producunt, id ex aliqua materia habili faciunt.

§. 2. Ubinam porro quoque manet anima, quas quæſivit ſedes, quando ſola extra corpus vivere cogitur? Aut enim dicendum, eam interiiſſe, aut ad regnum *Satanæ* tamdiu evolaſſe, donec ſit rurſus corpori jungenda, aut dæmonem illam tãdiu conſervare integram & incolumem, donec corpori ſit reunienda. Verum neutrum dici poteſt. Si enim interiit, anima

quæ eſt immortalis ſpiritus, interire poterit. Et quomodo poſteą revocari poterit ad priſtinum domicilium, ſi annihilata fuerit, qvod de lycanthropis iſtis aſſeritur. Si fuerit ad Diaboli ergaſtulum detruſa, tum ſequeretur, aliquam animam à cruciatibus infernalibus liberatam rurſus uniri cum ſuo corpore, unitamq; communi adhuc frui vita his in terris, quod nullo modo concedi poteſt. Si à Satana anima tamdiu conſervatur integra, ubinam illa erit? omnis enim Spiritus creatus πȣ̃ aliquod requirit, ubi ſit & operetur. Ogganniunt nõnulli, hanc animæ ſeparationem ſæpius eſſe factam, animasq; poſtmodum in ſuos carceres detruſas fuiſſe. Ut autem ſtabilem reddant ſuam ſententiam, *Pauli* in tertium cælum rapti, *Lazari* quoque & *adoleſcentis Nainitæ* exempla adducunt. Verum diſpar ratio, diſparia exempla. Nam hæc omnia divinâ virtute & infinitá potentiâ facta fuiſſe ecquis inficias iret? Diabolo hoc tamen imitari impoſſibile eſt. Si enim impurus ſpiritus animas à ſuo domicilio ſeclusas corpori reunire poterit, annõ rurſus vera è mortuis reſuſcitatio locum haberet, quæ quia longè eſt ſuperior viribus Dæmoniacis, ſupra fuit profligata.

Thesis III.

Hominum transmutatio in lupos Dæmoni reſpectu totius ſuppoſiti impoſſibilis eſt.

ἔκθεσις.

§. 1. Oſtenſum jam fuit, hanc eſſentialem transfigurationem planè non cadere ſub poteſtatem finitæ cujusdam creaturæ, vel ratione animæ, vel corporis, ex quibus per ſe fluit, nec ratione totius ſuppoſiti hanc transmutationem eſſe poſſibilem. Argumentamur itaque hunc in modum. *Quicquid de neutra eſſentiali parte verum eſt, id neq; de toto ſuppoſito verum erit. Atqui ſubſtantialis mutatio hominis in lupum de neutra eſſentiali parte verum eſt. E.* *Majoris* conſequentia firmiſſimo nititur fundamine, quia ab accidentibus eſſentialium partium ſuppoſitum

accipit veram denominationem. *Minor* nullo indiget probatione, quia in ſuperioribus theſibus vel ad ſatietatem eſt probata. Accedit, quod totum compoſitum ex materia & forma ſpecifica ſpecificũ ſit factũ, eoq; alterius ſpecifici per iſtã determinationem ſpecialis materiæ ad certam formam capax non ſit. Non enim animalium ſpecies invicem tranſmutantur, ex quo deducimus porro hoc argumentum. *Quicquid infinitam virtutem ſapit, creationem quoq; inferre videtur, id Satanicam poteſtatem ſuperat. Atqui ſubſtantiam in ſubſtantiam commutare, ſpeciem in ſpeciem transformare infinitatem virtutem ſapit &c. E.* Major conſtat. *Minor* cùm in Theologia tum in pneumaticis abunde ſatis probatur. Adducimus unicum teſtimonium, *Viri Clariſſ. Dn. Henrici Nicolai*, qui *exerc. 6. de magicis actionibus* ita loquitur: *Subſtantiales formas eſſentialiter mutare, infinitam nihilq; ſubjectam poteſtatem requirit, quam Spiritui creato Deus non conſulit. Perinde enim eſt, tales formas immutare, ac de novo eas creare. Minor* firma reddi poteſt inductione exemplorum. Aquæ in vinum mutatio in nuptiis Cananæis omnipotenti virtute præſtita fuit. Quid dicam de baculo Moſis, qui infinita altiſſimi Numinis potentia in verum ſerpentem fuerit converſus? Obſtrepunt vaniſſimæ hujus ſententiæ propugnatores, etiam vi dæmoniaca hanc eſſentialem transmutationem perfici poſſe, objiciuntque, Magos Ægyptios, quorum baculi in ſerpentes commutati fuere *Exod. VII.* Nos autem reſpondemus, iſtam baculorum immutationem vel totam fuiſſe præſtigioſam, nihilque verè hic factum, vel baculos ab adſpectu circumſtantium Magorum fuiſſe remotos, & vi *Satanica* ſerpentes modo celerrimo ſubſtitutos fuiſſe, *ut Auguſtinus, Theodoretus, Lyranus* & alij ſentiunt. Vid. Excell. Dn. D. Scharffius pneum. l. 3. q. 4.

§. 2. Antequam finem dicendi faciamus, non inſcitè hic quæri poteſt, quid ſentiendum de Nebucadnezare num ſubſtantialis an accidentalis iſtam mutatio in eo locum habuerit. *Gregorius l. 5. moral. c.* [illegible] in animal irrationale eum mutatum ſcribit. *Epiphanius in vita Danielis* aſſerit, priore corporis parte eum bovis, poſteriore leonis figuram retuliſſe. Horum autem opinio-

nioni aſſentiri non poſſumus. Sic enim ſonant verba *apud Danielem c. IV. Cor ejus ab humano commutetur, & cor feræ detur ei, fœnum ſicut bos comedes.* Et paulo poſt. *Senſus meus redditus eſt mihi, & figura mea reverſa eſt ad me.* Ubi tenendum, non penitus cor ejus fuiſſe ablatum: cor namq; in ſacris ſæpius affectum appetitus, conatus notat. *Ezech.* 28 *Act.* 4. 32. ut hæc in belluina in eo degenerarint. Neque ex hoc, quod fœnum ſicut bos comederit, firmum petitur argumentum: Temperamentum quippe ejus divinâ virtute fuerat efferatum, & ſimile factum temperamento beſtiæ: ſi enim verè fuiſſet transmutatus in bovem, quomodo potuerint prolixiſſimè capilli & ungues ei excreſcere, quæ in bovem non cadunt. Quod verò dicitur de figura ad ipſum reverſa, non intelligendum, ac ſi forma humana penitus fuerit ablata, & poſtea reddita, ſed uſq; eò deformata fuit, ut beſtiæ potius, quàm hominis figuram præ ſe ferret. Et licet ſubſtantia mutata fuiſſet, ut Patres citati volũt, divina ea fuiſſet immutatio, à qua ad Satanæ poteſtatẽ N.V.C. Concludimus itaque cum *Excell. Dn. D. Scharffio pneum. d. 3. qu. 4.* λυκανθρωπία illa, quæ apud Barbaros ſpectatur, ſaltem præſtigatoria eſt, quâ Diabolus hominibus ſuperſtitioſis illudit variè faſcinando, glaucoma objiciendo ſpectantibus aut repræſentando formam lycanthropi. Similiter & illa, quæ de magicis rerum converſionibus circumferuntur, aut nunquam ſunt viſa, aut quæ viſa ſunt, præſtigatoria fuerunt, quibus oculus videntis fuit oblæſus faſcino, vel ſi oculus inviolatus perſtiterit, per agilitatem ſubdolè ſubtracta res videnda, uti non rarò experimur apud circumforaneos, Hiſtriones Nigromanticos &c.

Ad Eximium & Præſtantiſſimum

Dn. RESPONDENTEM,

Fautorem, Convictorem & Amicum ſuum.

P*Ræſtigias Satanæ, larvas* & *ſpectra* tenere
  Ingenii ſummi gloria non minima eſt.
Dæmonis hinc quia declaras *glaucomam* & *artes*,
  Inſignem laudem Tu Tibi ritè paras.

PRÆSES.